



**E**Rasmus Germaniæ phoenix natus est ad quintum calend. Nouemb. Anno 1467, Roterodami in Hollandia, inferioris Germaniæ prouincia, quam olim Bataui possederūt. Is cum foelici ingenio esset insignis, ab infantia statim literis addicatus rudimenta didicit, atq; Traiectum missus aliquãdiu Cantorculum egit. ibi præcentiūculas obire solitus, tenuissimæ uocis gratia, pro more templorum cathedralium sacerdotibus aliquandiu obtemperauit. Paulo post Dauentriam peruenit, atq; artium & linguarum fundamenta, præceptore Alexandro Hegio Vuestphalo homine docto, foeliciter iecit. In eo loco ingenium Erasmi mox eluxit, quum statim quæ docebatur perciperet, & fideliter retineret, æquales suos omnes superans. Erat in eo loco Iohannes Sinthemius, uir (ut ea tempora ferebant) probè literatus. Is delectatus Erasmi profectu, complexus aliquando puerum: Maeste, ingenio Erasme, inquit, tu ad summum eruditionis fastigium peruenies. simulq; osculum dedit, & dimisit. nec eum hoc augurium fefellit. Orbatus uerò paulo post utroq; parente, tutoris improbitate in cœnobium canonicorum regularium detrusus est. In eo loco Vuilhelmum Hermannum, literis deditissimum iuuenem, aliquot annis sodalem habuit, atq; die noctuq; cum eo libris inuigilauit, & stilum exercuit. Interea fama de Erasmi indole passim spargebat: qua audita, Heinricus Cameracensis præsul iuuenem, iam sacris initiatum, ad se uocauit, atq; ingenij suauitate & præstantia delectatus, secum in sua curia ad tempus retinuit. Postea quoq; eū haud grauatim suis sumptibus instruxit, ut Lutetiam proficisceretur, & illic Theologiæ Scholasticæ operã daret. Ergo Scottista factus in Collegio Montis aliquandiu egit, atq; de rebus uarijs cum doctissimis quibusq; contulit. Cum autem uitam Collegiatorum duriolem experiretur, ad quendam generosum Anglum diuertit, atq; eum cum alijs duobus adolescentibus in bonis literis instituit. Atq; hinc cœpit primò Erasmus in Anglia innotescere. Aliquoties etiam cum suis discipulis in Angliam concessit, atq; ibi à uiris doctissimis Guilhelmo Grocino, Thoma Linacro, Vuilhelmo Latimero, Ioanne Coletto, Thoma Moro, Richardo Pacæo, & Gutberto Tonstallo summa humanitate susceptus fuit. In Cantabrigensi quoq; Academia aliquandiu docuit, & ingenij sui præstantiam cunctis declarauit. Inde ad Belgas reuersus Louanium contendit, atq; apud Ioannem Paludanum eius scholæ Rhetorem diuertit. Quam primùm uerò innotuisset, amicorū hortatu docere incepit, & discipulorum concursu celebris extitit.